



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Hieronymi Dandini Cæsenatis E Societate Iesv De Corpore  
Animato Lib. VII.**

**Dandini, Girolamo**

**Parisiis, 1611**

Digressio 24. De reactione, ad tex. eundem.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95641)

actionem significat, actioque dicit formam, ut non solum ab agentis forma pendet, sed ab agente toto ut operatur. Operatur autem ut est actu existens, quantum, extensum, & cum alijs pluribus qualitatibus ac dispositionibus coniunctum. Quocirca non solum qualitatis gradus, sed diversa, quoque dispositiones adiuncte variare possunt, iuuare, aut impedire actionem agentive virtutem.

*Ut actio  
variari  
possit.*

Tribus autem potissimum modis id evenire potest. Primum ex maiore aut minore distantia patientis ab agente. Deinde ex maiore vel minore agentis quantitate. Postremo ex illius densitate aut raritate. Densitas enim plurimum actionem promouet. Tum quod in corporeo denso agentis partes sunt propinquiores, & vicissim, & patienti: quia sub minori extensione contentae: habentque virtutem magis unitam, & eam melius partes omnes in patientem exerunt. Tum quod cum densum sub extensione parua multas habeat materiae partes, maiorem etiam in pluribus partibus agendi vim continet ratum cum partes habeat & vicissim & a patiente magis distantes, parumque materiae sub extensione magna; multo minus ubique agit. Itaque si duo sint eiusdem molis agentia, sed sub maiori aut minori extensione; eorum alterum agendo alterum superabit: quodque minorem extensionem habet, non quidem maiorem qualitatem, sed citius atque expeditius producet. At si eadem sit extensio & diversa moles, vnumque altero densius; id, quod fuerit densius, tum citius aget, tum perfectiorem qualitatem producet. Igitur agendi ratio ac mensura non est simpliciter ex qualitatis specie illiusque intensioe petenda: sed ex agendi virtute, quae aliunde & augeri potest & minui. Possuntque duo esse agentia qualitate similia & gradibus aequalia, actione tamen inaequalia: propter maiorem scilicet aut minorem densitatem, partiumque multitudinem cum maiori vel minori extensione. Possunt quoque esse duo gradibus & agendi virtute aequalia; si reliquae item conditiones & qualitates eodem modo se habeant. Possunt denum esse duo, quorum alterum pauciores habeat qualitatis gradus, & tamen magis agat; quod quantitatis partibus alijsque conditionibus magis superet, quam gradibus superetur.

Ex quibus consequens est, agentia ea, quae gradu similia sunt, non item agendi virtute, agere inter se posse. Quia cum actio inde oriatur, quod agendi virtus maior, quam resistentia, sit: & vnum, quod totidem habeat gradus, superari agendi virtute ab eo possit, quod densius sit, pluresue habeat partes: poterit hoc sane in illud agere, quod harum conditionum defectu minorem agendi ac resistendi vim habeat.

Quod si qualitate, gradibus, agendique virtute similia sint; nullo modo possunt vicissim agere. Tum quia finis actionis omnino cessat, ubi patienti agenti penitus simile sit. Tum quia vnum quodque agit, ut est actu, patientique ut est potestate: haec autem aequae sunt, aut actu, aut potestate. Meritoque obijcitur in tex. 48. citato, nullam esse rationem, cur eorum vnum potius, quam alterum, aut agat, aut patiat.

Proprium igitur actionis obiectum, nec enim ipsum agens, nec aliquid illi simile, ut est simile, sed ut dissimilitudinem aliquam & contrarietatem retinet: omnisque actio Physica inter primas solum qualitates, ut contrariae sunt, verlatum inter alias, non nisi ut cum illis permixtae sunt. Quoniam in illis prima est contrarietatis ratio, quae Physicae omnis actionis est radix.

Actione tamen reflexa & per antipensitalem fieri potest, ut quidpiam, tum in simile, tum in seipsum agat. Quod tum in calce videas, quae aqua infusa propter calidorum habituum reflexionem ad centrum calcis, contrario scilicet frigido adueniente, ita calefcit, ut aqua quoque feruet. Tum in peponibus; quia ad solis radios frigiditatem non solum quod tenuis halitus calidi ab externo calore extrahantur, minorque calor à matre consumatur, ut est in problemate 13. sect. 24. Sed etiam quod circumiectus calor efficit, ut illorum naturale frigus per reflexionem intendatur; vnde in loco Philosophus innuit, dum aliam similem quaestionem soluit. Tum in putealibus aquae quae hyeme calidae, aestate frigidae sunt. Tum in aquae guttis ex aëris media regione descendentibus. Quae propter caloris antipensitalem refrigerantur magis, atque in grandinem congelantur, ut in primo traditur Meteororum libro. Tum in alijs pluribus his similibus. Quamquam haec omnes actiones verè & proprie non videntur esse emulsi in seipsum per se, sed ratione partium. Habentur satis haec de re sit dictum, ut illud, quod de sensibus à Philosopho dicebatur, quoquo modo illustraretur ac planius euaderet.

#### DIGRESSIO XXIV. De Reactione.

Venio ad alterum caput, quod de actionis conditionibus fuit propositum. Ex duabus praecipue sunt, contactus & reactio. De contactu post suo loco, nunc de reactione, de qua in superioribus verbis Philosophus loquebatur. Sane cum actione necessario coniunctum esse videmus, ut dum agens agit in patientem, ab illo quoque patitur, dumque patientis patitur ab agente, immo etiam in illud agat. Apertaque sunt Aristoteles in 3. Phys. libro tex. 8. & 1. de ortu & interitu tex. 53. & 87. quem locum allegans in 4. libro de animalium procreatione cap. 3. habet haec verba. Omne agens patitur etiam à patiente: ut quod secat, hebetatur ab eo, quod secatur; quod calefacit, refrigeratur à calefcente, denique quodcumque mouet, excepto primo, vicissim aliquo motu mouetur: verbi gratia quod pellitur quodammodo, & quod premit, repelletur. Interdum etiam ita, ut quod agit, magis patiat, quam agat, & refrigeretur, quod calefacit, calefcit, quod refrigerat: cum autem fecerit, aut minus, quam ipsum affectum esse. Quae verba libuit huic loco adscribere, quod praeter grauissimam Philosophi auctoritatem compositae eius sen-

eius sententia confirmationem ex sensu ductam & experientia, tum in artibus; tum in natura. Quibus addi potest localis motus duarum phialarum sese vicissim confringentium; aquam calidam & frigidam permixtas vicissim temperari; duos gladios sese vicissim hebetare; ferrum candens frigida aqua infusum calefacere illam, ab eaque refrigerari; manum frigidam in sinum positam calefieri, sed sinum refrigerari; glaciem manu acceptam calore liquefieri, sed manum refrigerari; cibum alterare animal, & ab eo quoque alterari ac mutari; ac demum, ut cetera mittam, partes elementorum proximas minis esse puras, magisque temperatas qualitates habere. Cum enim communem habeant elementa materiam, pugnantiibusque qualitatibus differant; agere vicissim possunt & pati; & elementum quod est actu sub vna qualitate, potestate est ad alteram illi contrariam. At ratione actus agere potest, rationeque potestatis pati: & cum agens habeat coniunctum contraria qualitate instructum, ab illo patiatur necesse est: quoniam naturale regens cum patiente coniunctum non potest non in illud agere. Mistio quidem certum miscibilium est alterorum vnio; qua ex illis omnibus temperatis efficitur quid medium atque omnibus commune. At nullo modo fieri posset, neque mistio, neque elementorum temperies, nisi ea vicissim agerent & paterentur. Nam si vnum ageret solum, & aliud pateretur; vnum esset summe perfectum, & aliud aut penitus interemptum, aut ita fractum & contusum, ut nullo modo appareret. Agens igitur, quod aut materiam non habet, aut a patiente diuersam, agere sane nihil patiendi; quoniam potestate non est ad eam formam, qua in patiente reperitur. At in ijs, que communem habent materiam, non modo in diuersis contrarietatibus est reactio, ut cum calidam agit in frigidum, atque ab illo humectatur (de hoc enim reactionis modo non est disputatio) sed etiam in eadem. Calidum enim calefacit frigidum, & ab eo refrigeratur. Nam ut in mistione refrangantur qualitates & temperentur, omnes necesse est dum agunt & refrangunt suam contrariam, pati quoque & refrangi ab illa; cum ab alia pati & refrangi non possint. Et nisi ita esset, elementa symbola, que vnica qualitate pugnant, nihil paterentur agendo neque refrangerentur. Qualitates enim contrarie quidem dicuntur, que vicissim se ex eodem subiecto possunt; in aliquo tamen gradu remisso possunt simul in eo consistere. Quod & in quinto Physic. libro textu sexto, decimo nono, quadragesimo quinto reperies; & in aqua rapida, omnique pugnantium qualitatium reactione, omnique intentione, remissione & corruptione eorum experieris. Dum enim intenditur, remittitur, aut corrumpitur vna qualitas, cum aliquot illius gradibus aliquot item contrarie qualitates reperiri necesse est. Quoniam non nisi expulsionem contrarie intenditur, nec nisi eiusdem permissionem remittitur, aut illius productionem corrumpitur; & in mistis omnibus qualitates omnes temperate & permixte continentur. Ita fit, ut quantum vna qualitas distat a summo, tantum habeat qualitates contrarie; aut quantum illius ha-

bet, tantum a summo distet. Ceterum illud etiam intelligatur; vbi commutans adest materia, non actionem modo & passionem, sed reactionem quoque & repassionem nominari. Actio est primarij agentis in patiente, passio precipui patientis; reactio patientis in agens primarium, repassio demum eiusdem primarij agentis a patiente. Quocirca actio absolute dicitur illa, que est cum victoria; & ideo primario & robustiori agenti tribuitur. Reactio victoriam non significat, sed quandam potius resistentiam aut renitentiam; atque in imbecilliori agente consideratur: Quod quantum potest, fortioris agentis vim repellere a se conatur. Ex quibus actionem & reactionem intelliges esse idem formaliter, solumque ponere distincta principia, a quibus oriuntur, differre: passionemque item & repassionem ex diuersis subiectis, in quibus suscipiunt. Eandem vero actionis & reactionis, passionis radicem esse. Actionis radix est actus; quod vnumquodque agit ut est actu. Reactio quoque ex actu & forma proficitur; quia patientis propterea reagit, quod actum & formam agentis contrariam habeat. At passio & repassio ex potestate proueniunt; que in vtroque ad aliquem alium actum & formam inest. Quare cum agens & patientis contraria sint, actusque habeant vniam formam & potestate alteram, vtrumque potest in suum contrarium agere, ut quidpiam est actu illi contrarium; & vicissim ab eo pati, ut ad formam & actum illius potestatem habeat. Neque vero potest agens a patiente repati in diuersa solum parte ab ea, per quam agit: sed in eadem quoque. Quippe illa actu est vna forma & potestate altera; eademque aqua calida pars, que frigidam calefacit, refrigeratur ab illa. Alioqui nulla foret mistio. Quoniam elementorum partes impermixte remanerent; cum tamen in priore libro de ortu & interitu textu octo, gesimo quinto & octuagesimo sexto. Quancumque misti corporis partem voluerit Philosophus esse mistam. Immo nulla prorsus fieret actio inter ea, que vniformia & in eadem contrarietate omnino equalia essent. Quapropter audiendus non est Raimundus Snylfer Calculator in tractatu septimo de reactione, eam negans in eadem parte fieri posse: sed agens partibus robustioribus agere & imbecillioribus pati. Quod si partes omnes sint aequae robuste, nisi patientis resistentiam superent, actionem nullam fore si superent, futuram actionem sine reactione. Videatur duobus maxime principijs niri. Altero; aequalem in singulis qualitatibus alteratricibus agendi & resistendi vim inesse. Altero; a virtute imbecilliori aut equali actionem nullam proficisci. Quod & fatetur Philosophus in libro de animalium motu capite secundo, & proposuit quoque Burleus in Physic. librum tex. 19. ut nullam esse reactionem ostenderet. Si enim agens & patientis aequalem virtutem habeant, nulla erit actio; quoniam ab equali esse non potest: sin autem inaequalem; illud tantum ager, quod superabit; patientis vero nihil ager, quod a virtute imbecilliori proficisci nequeat actio; nulla igitur erit reactio. Accedit, quod si esset, nunquam agens opus suum

Actio; & passio Reactio & repassio.

Harum omnium radix.

Reactio non fieri in eadem parte.

Calculat. latens opinio.

Burleus opinio.



absolueret, neque perfectè simile sibi faceret patiens. Huius enim reactione amitteret aliquem suæ virtutis gradum, atque in ultimo actionis, non modo perfectum effectum non produxisset, sed magnam potius suæ virtutis partem amississet.

In eadem porro parte reactionem non fieri, hoc argumento conficit Calculator. Quoniam idem contrarijs motibus simul moueretur, duasque pugnantis qualitates susciperet. Nam si calidum quadruplo maiorem extensionem haberet, in totum aegeret frigidum, quod non nisi in quartam illius partem reageret. Quarta igitur duntaxat pars reparetur & frigeretur. At illa ipsa à tribus reliquis partibus calidis, cum quibus est coniuncta, calefit. Pars igitur illa repassa motibus simul contrarijs moueretur, pugnantisque qualitates susciperet. Verum vnus intentio alterius remissio atque adeo expulsio est.

Hanc ipsam difficultatem omnium sanè maximam alij post ad medium, per quod fit actio, traduxerunt. Aer namque per quem ignis agit in aquam, ab igne calefiet & simul a reagente in ignem aqua refrigeretur. Ita non repassio modo in eadem parte, sed reactio, quævis & repassio tolli videtur.

Et fortasse propterea Franciscus Neritonensis reactionem per se & directè in eadem contrarietate negauit: eam inquit per se in alia solum contrarietate versari, sed ex accedente in eandem qualitatem, per quam primum agens egerat, redundare. Dum enim ignis calefacit aquam, ab ea per se humectatur; at corrupto frigore aquæ extinguitur illius humor, sublatæque ignis siccitate calor eius perit. Verum errauit magnopere. Tum quod agentia naturalia priuauit propria illorum actione, si cum suo contrario coniuncta in illud non agant. Tum quod totam sustulit mutationem elementorum singulorum, vnusque elementi ex assymbolis duobus generationem, in quibus vnica qualitas corrumpi debet in columni altera permanente; vt in textu 27. posterioris libri de ortu & interitu Philosophus prodidit. Tum quod elementa absque vilo contrario ex accidente solum corrumpi concessit. Tum demum quia cum actionis & passionis radix sint actus & potestas, cum eiusdem contrarietatis comparatione eadem pars sit actu quoad vnã qualitatem, & potestate quoad alteram, necesse est per se agere & pati. Neque in elementis symbolis, quæ vnica qualitate agunt, vlla reactio foret.

Vt hæc vitaret Gulielmus Entisbeius in ultimo suorum sophismatum, reactionem quidem per se in eadem contrarietate & parte concessit: sed eam voluit non in toto, sed in parte fieri. Vt si sint calidum vt octo, & frigidum vt octo, quoniam calidi resistentia æqualis est actioni frigidi, non potest in illud totum reagere; potest in aliquam partem, cuius resistentiam superat. Eadem fuit, Ioanni Mariliano sententia; contra quem multa scripsit Caietanus Thionensis.

Et quoniam hi omnes auctores in eo visi sunt consentire, vt qualitates alteratrices vellent æqualem agendi ac resistendi vim habere; de hoc antea constituendum est, quàm ad propositam questionem respondeamus. Primum autem ponere oportet,

quid resistentiæ nomen significet. Videtur ergo resistentia in successiva solum actione reperiri; quia cum nequeat forma tota subito producti, id nimirum ex aliquo nascitur impedimento, in quo resistendi. Illud porro triplex esse potest. Primum enim vel ex parte producendæ formæ oritur, quæ cum latitudinem habeat, non potest tota simul acquiri. Vel ex parte dispositionis materiæ, quæ formam eam suscipit. Nam dum qualitas quæpiam producitur, expelli debet eius contraria, quæ erat in materia. Hæc autem productionem suæ contrariæ sui que corruptionem magnopere impedit propter coniunctionem scilicet, quam hæc qualitates habent cum in hæret. Inde namque vim habent repellendi se & conferendi in eo subiecto; & ideo resistere dicuntur & impedire productionem contrariæ, in quo corrupti debent. Vel demum oritur impedimentum & resistentia ex actione contrariæ. Quia cum in materia producitur qualitas, quæ contrariam habet, reagit eius contraria agens que eam productionis virtutem minuit.

Prima impedimenti ratio, quæ ex forme latitudine oritur, improprie admodum resistentia dicitur: Quoniam proprie non est impedimentum vllum: Quia ipsa potius forma similem sibi contendit producere & quantum potest productionem eam inuat. Sed est natura ipsa illius formæ, ex qua motus potius existit à mutatione distinctus; & in motu quoque locali cernitur, qui productio formæ non est, sed fluxus partium mobilis, quæ latitudinem habent, in spatio, quod latitudine item præditum est. Quam si resistentiam appelles, minus proprie loqueris. Non enim impedit educationem formæ, sed moram & tempus adfert, modumque impedit, ne subito producatur: vel si sit localis motus, ne omnes mobilis partes spatij partes vnæ momento percurrant. Forma vero substantiæ tota simul producitur, neque hanc resistentiam habet.

Tertia item impedimenti ratio, quæ in reactione consistit, non videtur esse proprie resistentia. Tum quia substantiæ forma, vt non agit, ita nec reagit; sed hoc qualitatum proprium est: & tamen ipsa quoque resistere dicitur. Tum quia ferrum, lapis, & quodvis durum, comprimenti resistunt, & parietes vento; nec tamen reagent. Tum quia reactio est actio quædam & productio formæ, eademque actione & corruptitur contrarium regendo, & producitur simile: at resistere formaliter non est producere formam, neque aliud corrumpere; sed impedire, ne aliquid producatur.

Propterea etiam non est agere, aut pati. Non agere; tum quia multa resistunt, quæ non agunt: tum quia actio formaliter productionem significat alicuius ab alio; resistere autem productionem alterius impedire. Neque pati; tum quia ferrum, lapis, dum resistunt, nihil patiuntur, nec suscipiunt quidquam: tum quia prima materia maxime patitur & nihil resistit. Immo in cæteris quanto aliquid magis patitur, resistere minus videtur; & quo magis resistit; minus pati. Tum demum quia pati formaliter est aliquid suscipere, resistentia susceptionem non significat.

Propria igitur resistentia erit illa, quam ostendi dicebamus ex aliqua subiecti patientis dispositione, quæ

Neritonensis opinio.

Entisbeij opinio & Marilianensi.

qua impeditur actio, passio, ex productio formae propter dispositionis illius conjunctionem cum materia. Hanc resistendi vim habent accidentia omnia, quod omnia connexionem aliquam habeant cum substantia & in ea conferuari velint. Maxime vero habent illa, quae a parte materiae sunt, quantitas, durities, densitas, & huiusmodi cetera. Porro haec resistentia, ut non sit formaliter actio, nec passio, nec reactio; actus tamen quidam est secundus inter haec medius. Est inquam actus secundus. Tum quia in moralibus communis est Philosophorum vox, non eum modo, qui actum virtutis promit; sed eum item, qui resistit vitio, ex virtute operari: quae tamen resistentia actum secundum significat. Tum quia quod resistit obijctur agenti, ut eius actionem impediat vel moretur. Non potest autem actus secundus impediri, nisi alius ei secundus actus opponatur. Tum etiam quia quod resistit, ad oppositum tendit: quod non nisi per actum secundum esse potest. Nam si nullus esset secundus actus, mera esset passio, qualis in prima materia certatur, quae ut nullum habet actum, ita nihil resistit, sed solum patitur. Est autem hic actus secundus inter actionem & passionem medius. Primum quoniam virtusque percipiens est: actione; quia contrariae virtuti opponitur, eamque impedit ac retundit: passione, quia contrarium agens supponit, cui resistit, semperque ex patientis parte se tenet. Deinde quia est imperfectior actione, quod formae positivae productionem non significet, sed solum contrariae repulsionem, atque impeditionem, ne ingrediatur. Est tamen passione perfectior; quod non solum potentiam dicit, sed actum primum includat, actusque secundum ab illo exitum significet. Postremo quoniam supponit actum & potentiam, quae actionis & passionis sunt propriae. Actum quidem primum in eo, quod resistit, a quo vim habet resistendi: Potentiam autem, quia semper ex patientis parte se tenet.

Itaque resistentia haec proprie dicta nil aliud formaliter fuerit ut ab actione, passione, & reactione distinguitur; quam actus quidam negatiuus potius ac privatiuus, quam positiuus. Quod enim resistit, vere nil agit, neque producit quidquam prout formaliter resistit: sed solum se tuetur, & impedit seu repellit contrarium: videturque privatiuus esse actus, quia formaliter significat non admittere contrariae actionem.

Est autem quidpiam sane in natura, quod agat solum absque passione & resistentia. Deus enim ut infinitam habet virtutem, nihil inuenit, quod resistere possit: quia nulla est proportio inter illius & creaturae rei create virtutem. Sunt etiam aliqua, quae agant solum, nec patientur, neque resistent. Separatae omnes mentes ita agunt, ut a nullo patientur actione corporea; & ideo nulli resistent. Caelum quoque nihil ab his inferioribus patitur, neque illis resistit. Ab intelligentia sane suscipit motum in orbem: at nec illi resistit; quin ad eum potius motum inclinat, quia non destruit ipsum, sed magis perficit. Neque proprie patitur; quoniam motus ille non est alicuius formae susceptio. Et aliquid, quod nullo modo agat, sed patiatur solum; idque

A absque vlla resistentia: haec est prima materia. Aliud est, quod agat, & absque resistentia patiatur, ut in operationibus sensuum & intellectus. Potest & aliquid pati, & absque reactione resistere. Ut si insignis ignis exiguum stuppam comburat; stупpa patitur & quantum potest resistit, nec tamen propter virtutis imbecillitatem in ignem reagit. Denique plurima sunt in natura, quae simul & agant, & patientur, & resistent, cuius generis sunt actiones, quae inter elementa versantur, ubi inter agens & patientis est proportio.

B Jam vero his de ratione resistendi explicatis, facile erit intelligere id, quod quaerebat. Retenta enim resistentiae distinctione exposita; atque ex eo sumpta, quod actrices qualitates duobus modis spectantur, vel ut formae quaedam sunt, quae dant esse materiae, & ideo cum illa connexae cohaerent: vel ut contrarietatem & agendi vim habent: Si posterior haec resistentia consideretur, qua in suum contrarium reagendo debilitant illud, eiusque productionem impediunt; sane quantam vnaquaque qualitas agendi vim habet, tantam quoque habet resistendi: quaeque plus agendo possunt, plus etiam valent resistendo. Siquidem haec resistentia nil aliud est, quam cuiusque qualitatis actio. Sin autem priorem ac magis propriam resistendi rationem quaeras, qua forma inherens materiae & cum ea coniuncta, nolens ab ea separari, contrariae aduentum repellit: inaequalem plane aio vim agendi ac resistendi esse: easque qualitates, quae plurimum agunt, minime resistere, & quae minimum agunt, resistere plurimum.

C Terram in elementis cernimus ineptissimam ad agendum, ad resistendum validissimam: ignem agentem plurimum, & minimum resistentem, cum parvo negotio propter raritatem extingatur: aërem item & aquam proportionem eandem servare. Qua in re naturae providentiam possumus admirari. Quoniam cum haec qualitates atque per eas elementa permisceri deberent; ita eas aequum fuit institui, ut maxime possent permisceri. At si idem elementum, eademque qualitas egisset plurimum & simul ite plurimum resistisset non potuisset cum alijs permisceri. Quocirca calor & frigus, quae maiorem agendi vim habent, minus resistere debuerunt; magis humor, maximéque omnium siccitas. Quod fit, ut qui morbi ex siccitate proueniunt, ut febres ethica, difficilius curentur a medicis. Potissima huius distributionis ratio est, quoniam priores duae qualitates stant potius a parte formae, & ideo maiorem agendi vim habent. Minus vero resistunt propter minorem cum materia nexum. At posteriores reliquae sequuntur magis materiam, cui non tam tributa fuerunt, ut agerent, quam ut illius partes copularent, determinarent, consentiantque ac soliditatem adferrent. Quare cum maiorem habeant cum materia connexionem, fortius se in ea detinent.

Haec cum aduersarij non intelligerent, nihil mirum, si secus, quam oportuit, de reactione senserunt. Verum sensuum quoque iudicium negarent. Cum enim negare non possent, reactionem nos in actionibus omnibus sentire; sensibus dixerunt credendum non esse, ubi praesens sit contraria ratio.

Quaedam resistentiae qualitates tribuuntur.



Contra  
ne, dicitur  
sensum.

Nam si sensibus credantur, solent affirmabimus terra maiorem non esse quod tamen demonstrant Astrologi. Quasi vero aliter, quam ex sensibus, de naturalibus rebus philosophari liceat. Aristoteles quidem certe Tenoni hac ipsa in re peccati obijcit in octavo libro Physicæ, textu 22. imbecillitatis esse intellectus dimisso sensu rationem querere; & textu 26. hominis id esse, qui minime possit iudicare, quid melius sit, & quid deterius, quid credendum, aut non credendum; ac demum quid principium, aut non principium. Nimirum voluit summus Philosophus nostrarum omnium rationum principium esse sensum & experientiam; ex quibus ortum habuisse scientias omnes, tum in Proëmio Metaphysicæ ostendit, tum in extremo posteriori libro de Posteriori Analysisi: iurque optimo Platonico reprehendit in tercio libro de Cælo textu 61. quod superficies facerent principia corporum; neque ijs contentantur loquerentur, quæ sensibus percipiuntur, quos in rebus naturalibus tutissimos duces sequi debemus. Et in priore libro de ortu & interitu textu 38. antiquos coarguit, quod posthabito sensu omnia vnum immobile affirmarent, ac postremo sub finem decimi cap. libri 3. de animalium ortu, cum de apum procreatione dixisset multa; tandem hæc verba subiicit: Generatio apum ita se habere videtur, tum ratione, tum etiam ijs, quæ in earum genere euenire visuntur. Non tamen adhuc satis explorata, quæ eueniant, habebimus. Quod si quando satis cognita habebuntur, tunc sensui erit magis, quam rationi credendum. Rationi enim fides adhibenda, si quæ demonstrantur, conueniunt cum ijs, quæ sensu percipiuntur, rebus. Quinetiam Astrologi, dum solem terra maiorem esse ostendunt, ex sensu & ijs, quæ sensu percipiuntur, ostendunt. Ex eo inquam, quod res quod magis distat, eo minor apparet; quodque lucidum corpus est magis remotum, minus potest illuminare. Quocirca est sensus interdum propter nimiam obiecti distantiam malamve facultatis aut medijs dispositionem erret; ex ipsis tamen sensibus error ille corrigitur. Quorum demum iudicium si necessariae omnes condiciones adint, certissimum est; vt in textu 63. & 52. huius libri, & 24. libri 4. Metaphysicæ Aristoteles confirmat. In rationibus autem, quas quisque potest excogitare, quam multi sæpe errores deprehenduntur. Vt optimè monuerit Auicenna in prima quarti, quando sensus & ratio pugnant, sensui potius standum; & magnus Auenazar, experientiam & sensum veritatis esse iteram.

Quibus  
rationibus  
sensu  
reactio.

Quamquam rationibus quoque ostenditur confirmari sensus. Tum ex communi materia, quæ potestate est vtrumque contrarium. Tum quia naturale agens conuenienter applicatum patienti non potest non agere. Tum ex missione; quæ nulla esset, nisi contrarietatis eiusdem & partis reactio foret. Tum demum ex inæqualitate virtutis agendi & resistendi in alteratibus qualitatibus. Quibus omnibus Aristotelis, quem cæteri omnes sequuntur, grauissima accedit auctoritas. Quod enim eum aliqui de solo motu locali; aut certe in diuersa contrarietate; aut eo demum intellectu, vt non patitur quidem agens,

adum agit; sed eius natura sit, vt post pati possit, intelligendum esse: leue est, neque illius verbis consentaneum. Nam & omne agens eam dixit subreptam legem, vt patitur: & alterationis quoque in eadem contrarietate exemplum attulit: idque simul & eodem tempore, quo agit: atque eam huius rei causam exposuit, quod agens Physicum acta consistet & potestate, materiaque ad vtramque contrarietatis partem potestate sit.

Maneat igitur, non modo in agentibus naturalibus, quibus est communis materia: verum etiam per se in eadem parte & contrarietate, atque in agentibus quoque vniuersalibus & æqualibus, reactionem esse. Quoniam etsi calor sit vt octo, & frigus vt octo; minorem tamen resistendi, quam agendi vim habent; calorque agit in frigus, quæ vehementius agit, quam resistat frigus: hocque vicissim in illum reager, quod robustius ad agendum sit, quam calor ad resistendum firmus. Vnius enim contrarij actio circa resistentiam alterius vertitur, vt illud ex subiecto pellat: & quoniam agentis repassio ex materia ortur potestate ad patientis formam, quousque hæc expleatur potestas, repassio semper. Quemadmodum etiam quia patientis propterea reagit, quia est actus, quando aliquem habuerit actum, reager. Adest enim semper reactionis repassio principium: neque tota est agentis potestas expleta, nec totus patientis actus corruptus. Etenim non agit agens in patientem, nisi formam illius corrumpendo, subreptam similem procreando: ac tantum expellit contrarij, quantum sibi simile producit: tantumdem igitur reactionem illius impedit, si quidem alio modo non impedit, quam destruendo formam, per quam illud reagit. Quare vt successiue formam suam producit, demoliturque contrariam, ita successiue contrarij reactionem impedit: & cum aliquem gradum destruxit, cum tantum impedit, ne in le producatur: supersint autem reliqui, qui produci possunt: & vt successiue in actio, ita successiue quoque & minor reactio contra quandiuque durabit actio, durabit quoque reactio, & vt qualitate tota producta cessat actio, quia tota materia potestas expleta est, sic etiam tota contraria forma corrupta cessat reactio, quod nullus amplius sit actus, qui agat. Quæ omnia ea lege accipienda sunt, si vnum intra alterius spheram actionis contineatur. Alioqui cum robustius agens maiorem habeat spheram, potest in imbecillius agere absque vlla repassione: propter nimiam scilicet distantiam, quæ ipsum extra patientis spheram esset. Interdum, inquit Aristoteles libro quarto de animalium ortu capite 3. fit, vt quod agit, magis patitur, quam agat, & refrigeratur, quod calefacit, calefacit, quod frigefacit: cum aut nihil fecerit, aut minus, quam ipsum affectum est.

Hinc duo iam intelligentur. Alterum, nisi agentis & patientis sese immediate contingant, fore aliquando sine repassione actionem. Quia cum fuerit patientis prorsus debilitatum ac pene profligatum, ad tantam distantiam non reager, vt agens illud affectu. Quod si immediatus contactus fuerit, repassio semper, quia semper intra illius spheram continebitur.

Alterum

Alterum; perulgamam illam propositionem; Actionem debere fieri a robustiore virtute, neque a minore aut aequali actionem vllam proficisci; ita accipiendam esse, vt aut vis agendi vnus qualitatis comparetur, non cum vi agendi, sed cum vi resistendi alterius: aut de ea sola actione pronuntietur, quae victoriam reportare profusque patiens profligare debet. Aut demum in ijs duntaxat qualitatibus fit vera, quae speciei eiusdem sunt. Minor namque aut aequalis calor in maiorem aut aequalem non agit, sed solum maior in minorem, augendo illum. In contrarijs autem qualitatibus minime admittenda est. Neque tamen propterea tollitur, quin aegritia naturalia simile sibi producant. Nam putnant quidem aliquandiu contraria: quod tamen robustius fuerit, ita tandem contrarium debilitat ac prostermit, vt profus exstinguat atque in suam naturam commutet. Non secus ac in hominibus luctantibus cernas. Contendunt enim aliquandiu; sed eorum tandem alter altero superior existit. Sunt qui addant, agens cessante demum repassione reducere sese ad pristinum robur atque sibi simile procurare. Verum quidquid sit de hoc, dici potest, si totum agens repassum fuerit, reduci ab extrinseco aliquo in pristinum statum: aut si non reducat, producere quidpiam sibi simile; non eo gradu, quam antea habebat; sed eo, quem tunc cessante reactione habet. Quod si aliqua tantum parte repassum sit; reliqua supersunt integra, quae & illam reuocare possunt, & effectum perfectum similem producere.

Sed vrget difficultas illa a Calculatore proposita de parte repassa. Multa de hoc a pluribus scripta fuere. Equidem iudico eandem partem simul calefieri & refrigerari. Duobus enim modis potest quidpiam contrarijs moueri motibus. Aut ad vltimum vsque & perfectam vtriusque qualitatis contrariae intentionem: idque aut ita, vt tantumdem vtriusque qualitatis; aut ita, vt plus vnus, quam alterius, producat. Aut ad aliquod tempus; vt tandem superato altero motu, alter sit superfluit. Moueri quidem nihil potest contrarijs motibus ad summum vsque & aequaliter: at aliquandiu & inaequaliter, quid prohibet? Tandem enim earum qualitatum altera superat alteram, atque ad vnam solum terminatur motus. Etsi duae contrariae qualitates, possunt in eodem subiecto in aliquo remisso gradu consistere; quidni etiam producantur? Nam etsi continue producantur & corrumpantur; nihil tamen obstat, quominus horum vtrumque fiat, quandiu qualitates pugnant, deque statu ac firma sede contendunt. Quae tamen earum robustior est, generatur magis & intenditur, quam ab inimica destruat & remittatur. Immo si rem diligentius examines, affirmabis tandem neutram intendi neque remitti. Quoniam illud intendi dicitur aut remitti, quod idem persistens plures acquirit aut pauciores gradus. Cum vero in illo contrariorum confictu eadem qualitas gignatur saepius & corrumpatur, minus vere dici intendi aut remitti videatur.

Alterum dici potest; partem eam refrigerari, non calefieri. Quoniam quandiu agens agit, nisi sit patiente debilius, non intendit seipsum ascendere, cum nihil sit, a quo expugnari queat: sed contrarium suum demoliri conatur. Calidum igitur illud potentius frigido non calefacit partem repassam,

A sed totum in superando frigido occupatur. Seipsum enim tueri suarumque partium incolumitatem aduersus alterius oppugnationem procurare, infirmorum agentium est; quae propterea in aliud reagent, vt seipsa defendant. Agens igitur illud fortius in frigidum duntaxat ageret, atque illud superando actionem eius debilitaret: quare quod minus pars illa repassa frigeret, eo magis a ceteris partibus calidis calori pristino restitueretur. Neque simul duo illi motus fierent; sed vnus alteri succederet: priusque frigeret remissus, tum caloris intensio sequeretur: atque ita deinceps, quotisque perfectus omnino esset calor. Hoc enim luctantium & inter se pugnantium proprium est. Ex his tamen ne colligas, calidum, quod agit in frigidum non agendo in partem repassam, agere in distans & non in proximum. Etenim pars illa cum reliquis coniuncta est: & quamuis minorem habeat, quam cetera, calorem, calida tamen existit: neque actio partibus, sed toti corpori calido tribui debet: eaque antequam pars illa repateretur inchoata erat. Quare etsi caloris aliquid amittat, semper tamen calidum frigidum actio continuatur.

De medio, per quod actio fit & reactio, & eadem affirmari possunt, & praeterea addi duo. Alterum; medium calefieri simul & refrigerari; sed inaequaliter & difformiter. Nam prope agens calidum magis calefit; minus prope frigidum; prope hoc autem magis refrigeratur; quam prope illud. Potest autem remissis & inaequalibus gradibus idem medium contrarijs, qualitatibus affici. Nam si eadem etiam corpori duo apponantur contraria agentia, quae ambo illud agant, sane ambo aliquem in eo suae qualitatis gradum producent. Alteram, medium non affici nisi a potentiori aut sibi magis qualitate simili agente, aeternumque duntaxat calefieri: frigidam autem non refrigerare illud, sed in calidum reagere per frigus, quod in medio remanet: perinde ac si ipsummet illud produxisset. Est enim qualitas illi similis & contentiens,

Ad orientem de medio

*[Faint Greek text, likely a commentary or translation of the main text.]*

**T E X T V S** *[Latin text block]*

**V V** *[Small text block]*

## COMMENTARIUS LIII.

DIGRESSIO XXV.  
De Alimento.

**T**Otam, quæ inter antiquos fuerat, dubitationem tollit Aristoteles, utramque opinionem concilians. Potest enim alimentum duobus modis considerari. Aut in ipso nutritionis initio; quando primum sumitur, necdum confectum est: sed panis adhuc & oblonga cætera propriam suam formam & naturam retinent. Aut in fine, postquam coctum est, & à sua natura & forma in naturam & formam sanguinis aut etiam secundarum humiditatum mutatum; atque viuenti substantiæ unitum, proximè dispositum est, ut in illius substantiam mutetur & animeretur. Nam si hæc duo ita distinguantur; utramque illam sententiam videbimus partim veram esse, partim non veram. Qui enim simile dixerunt nutriri simili, verè dixerunt; si alimentum in ultimo nutritionis considerarunt: quo tempore antecedentibus mutationibus assimilatum iam viuenti est; neque pati ab eo amplius debet, sed illius solum formam suscipere. At si de nutritionis principio loquuti sunt, minus veram habuerunt sententiam.

Contra verò qui alimentum affirmarunt dissimile & contrarium esse debere; si de nutritionis fine dixerunt, falsum dixerunt: si de principio, verissima illorum fuit oratio; ut eorum argumenta satis ostendunt. Quamdiu igitur dissimiles alimentum & contrarias qualitates habet, alteratur & corrumpitur à viuenti: atque hoc est, quod alimentum incoctum dissimile & contrarium Philosophus nominavit. At ubi qualitates mutatae sunt, atque ita superata, ut nil superstiti agendum, nisi viuentis formam suscipere; tum demum patitur & mutatur solum passione & mutatione perficiente, qua & formam eam suscipit & animeretur. Hoc est alimentum confectum & simile: quia ultimo preparatum est & potestate proxima, ut animeretur & idem omnino cum viuenti fiat, eadem ipsius forma suscipere.

Quamquam sunt qui hanc similitudinem eo referant, ut alimentum ita confectum, si comparatione solum illius partis, inquam mutatum est, consideretur; idem potius, quam simile esse dicatur: at si cum toto conferatur, appelletur simile; propter reliquas illius partes, cum quibus idem non est. Hippocrates autem in libro de alimento (quo loco vltus est Galenus in tertio libro de temperamentis cap. 2. & 1. de naturalibus facultatibus, cap. 11. & primo de sanitate tuenda cap. 15.) tribus modis propter eam, quæ dicta est, causam alimentum nominavit. Nam & alimentum dixit, quod iam simile factum est: & quasi alimentum, quod appositum & aglucinatum est, at nondum simile effectum: & futurum alimentum, quod necdum appositum est, quod primum accedit, potestate; quod vltimum, actu alimentum dicere possumus.

**N**on solum medici de alimentis tractant, ut illis aut conservatur aut turbatur nostrorum corporum sanitas: sed multò magis agere debet naturalis Philosophus, cuiusque propria tractatio est: à quo medicus accipit, si quid sapienter de alimentis loquitur. Cum enim de facultate, quæ alit, naturalis Philosophus agat, quoque agat necesse est de illius obiecto; quod tam hoc loco, tum in priori libro de ortu & interitu Aristoteles fecit; & Themistius eas. Thomas interpretationem facientes textu 30. cum significant specialem de alimento librum scripsisse.

Omnibus igitur alimentum id dicitur, quod in nutrientis substantiam mutari potest, eamque restaurare & conservare, quam ob causam optime observavit Galenus in primo libro de alimentorum facultate, cap. 1. & lib. 3. de temperam. cap. 2. & 4. & accepisse videtur ab Aristotele Probl. 43. sect. 1. alimentum distingui à medicamento: quod medicamentum quatenus eiusmodi est corporis nostri substantiam alterat cuiusque intemperiem corrigit. Non tamen in illius substantiam mutatur; neque aliam, sed ad aliquam magis qualitatem perditam recuperandam suscipitur. Venena igitur, aut à corpore nihil mutantur, aut illius potius naturam vincunt & prosterunt. Aut si initio immutentur à corpore, corrumpuntur & putrescunt, secumque comprescere corpus & perire faciunt. Medicamentum & calefaciunt corpus & reciprocè calefiunt; non tamen superantur; neque in corporis substantiam mutantur. Alimenta demum & superantur & mutata restaurant. Et quamvis hæc quoque substantiam corporis non nihil immutent, quod omniestio reactionem habeat; & ideo ad corporis naturam aut conservandam aut mutandam vim magnam habent: insensibiliter tamen immutant. Quamquam alimenta quædam reperias, quæ & alimenta sunt, dum viuentis substantiam relaxant; & medicamenta, dum alterant corpus, aut calefaciunt, ut peper, zinziber, & aromatum genus: aut refrigerando & humectando, ut lactuca & olera pleraque: aut siccando, ut salsa & acria edulia. Ac prout vultur solum hoc alimentorum genus à permultis medicamentis appellatur; quod & aliat simul & medeat.

Ea propriè alimenta vocantur, quæ ita relaxant, ut nulla qualitate excedant, quæ aut calefaciunt nimium alterent corpus, aut alio modo afficiendo, aut cohibendo ventrem, aut laxando, aut stomachum roborando, aut debilitando: sed omnino conservando corpus totum in eo statu & conditione, quam in eo inveniunt. Hinc proprietates per se omnes & conditiones alimentum.

Principio quia nativæ caloris actione in viuentis substantiam mutari debet; proportionem habeat oportet & cum viuentis substantia & cum innato calore: alioqui superari à calore non poterit acquirere in viuentis substantiam mutari. Propterea in priori libro de ortu & interitu textu 39. debet alimentum esse potestate id, quod ex eo nutrendum est, ut potestate caro, actu autem aliquid aliud. Non quod

Alimentum an viuentis an dissimile

Alimentum tri- bus modis dicitur